

Blasius of Parma, *Quaestiones de anima* (Vat.Chig.O.IV.41)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Liber 2, quaestio 25 (fol. 199va; new fol. 192va)

Consequenter quaeritur utrum

sensibile positum supra sensum causet sensationem?

Arguitur quod sic, et primo me

<fol. 199vb; new fol. 192vb>

refero ad sensum tactus deinde per ordinem ad alios
sensus.

Primam argumentum: homo sentit dolorem stomachi ut caliditatem
excessiuam uel frigiditatem excessiuam. Et sentit frigus pedum
et caliditatem febrilem ipsa actualiter hominem affligente.
Ergo sensibile positum supra sensum tactus causat sensationem.

Secundum

argumentum: homo hora submersionis eius in aqua frigida sentit
frigiditatem magnam, ut tu potes experiri de
te ipso. Et hora qua homo iustificatus ad ignem
intrat ipsum sentit combustionem et magnas anxietates
in tantum quod pro eius euasione negaret
Christum. Et clarum est quod dum homo conburitur sensibile est
positum supra sensum tactus.

Tertium argumentum: hora qua

homo decapitatur sentit lexionem, cuius signum est,
quia hora qua tu amputas tibi digitum cum cultello
uel pangis cum acu tu sentis tangibile,

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to warmly thank Joël Biard, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Blasius of Parma, *Quaestiones de anima* lib. 2, q. 25, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

quod tunc est supra sensum.

Nunc probo de uisu, et sic
quartum argumentum in ordine: oculus apprehendit lumen eius connaturale
et colorem, ergo sensibile positum supra uisum causat sensationem. Antecedens
patet, quia clauso oculis et ipso aliquantulum commoto cum
digito, sive hoc fuerint in die sive in nocte, tunc
oculus sic commotus uidet lumen eius in modum coruscationis,
et hoc lumen est in² oculo, ut constat postquam hoc fit
ita de nocte sicut de die, oculo clauso et aperto.

Similiter apparet aliquando senibus, quod ante se uideant quasdam
nebulas moueri hinc³ inde iuxta oculos, et hoc non
est nisi quidem color terrestris humoris glacialis uel⁴
tunicarum oculum componuntur.

Idem contingit iuuenibus in ardua infirmitate intantum
quod aliquando putant muscas uolare iuxta oculos
ipsorum, et in hoc decipiuntur, quia secundum rerum ueritatem ista
non sunt extra oculum sed in oculo, ut quidem fumi
fluentes uel decisi a cerebro ad oculos.

Quintum
argumentum: quia homo existens in nauis quae mouetur apprehendit
motum per uisum putans arbores moueri, quae sunt in
ripa fluminis et non mouentur cum, igitur apprehendat
motum per oculum apprehendit motum oculi
sui, modo motus oculi est subiective in oculo. Et sic
sensibile positum etc.

Nunc idem probo de auditu, et
sic sextum argumentum in ordine: quia nullo sono exteriori
existente audimus sonum in nobis, ut in auribus qui
est subiective in organo auditus. Hoc tu potes saepe
experiri in te ipso, et maxime cum eximus de
balneo in quo balneo tu submergebas caput
tuum aquis.

Nunc probo de gustu et sic
septimum argumentum: quia lingua apprehendit saporem existentem
<fol. 200ra; new fol. 193ra>
subiective in ea, in qua lingua maxime uiget
organum gustus, et hunc saporem saepe apprehendunt
infirmi et aliquando sani. Et⁵ ob hoc medici
istos curantes praecipiant ut abradatur lingua
ne mali fumi fument ad cerebrum.

² scripsit sed del. oi

³ scripsit sed del. m

⁴ scripsit sed del. tunicarum oculis

⁵ scripsit sed del. l

Nunc

refero me ad sensum odoratus et sit octauum argumentum in ordine: quia saepe apprehendimus fetorem nullo fetore extra existentem, putandum est quod iste fetor est magis subiective in organo odoratus quam alibi. Apparet igitur de plano quod sensibile positum supra sensum causat sensationem quod fuit deducendum.

Confirmatur, generaliter arguitur, quia agens quanto est propinquius paxo tanto fortius agit in ipsum paxum. Modo in actu sentiendi sensibile est agens et sensus patitur, igitur ubi sensibile ponatur supra sensum cum non possit magis approximari paxo quam tunc, sequitur quod tunc fortissime causat sensationem.

Confirmatur, quia quanto sensibile plus remouetur a sensu⁶ tanto remissioem causat sensationem, et saepe intantum remouetur quod nullam causat sensationem, ergo approximatio debet esse causa sensationis.

Confirmatur idem, quia, ut scribitur, *VII Physicorum et I De generatione*, omnis actio fit per contactum, et non potest actio fieri per contactum nisi agens tangat paxum, quare etc.

Oppositum scribit Philosophus capitulo de tactu et capitulo sequenti, et dicit breuiter, quod omne sensibile agit per medium in sensum, et dicit quod agit sine materia, sicut sigillum agit in ceram sine materia.

In quaestione proposita erunt quattuor articuli. In primo determinabo quaestionem tenendo unam partem, secundo defendam partem oppositam a contradictione, in tertio articulo difficultates, et in quarto ad rationes in contrarium.

Quantum ad primum articulum, noto primo quod titulus quaestionis potest habere duplicem sensum. Unus sensus erit, utrum qualitas sensibilis actualiter informans organum sensus sentiatur.

Alius sensus potest quaerere de qualitate⁷ non informante organum, sed de qualitate informante medium ipsi organo immediatum, ut quaeretur, utrum qualitas sensibilis informans actualiter organum uel medium immediatum ipsi organo sentiatur, supposita omni bona aduertentia⁸ ex partis ipsius animae.

⁶ *scripsit sed del. tan*

⁷ *scripsit sed del. non*

⁸ *vel aduertenda*

Tertius sensus potest aduerti, ut utrum qualitates sensibiles actualiter informantes organum uel medium immediatum organo causent sensationem. Et iste sensus differt a prioribus, quia stat bene quod aliqua qualitas causet sensationem, quae tamen qualitas non est sensibilis, sicut species albedinis existens subiective in humore glaciali est quaedam qualitas causans uisionem, quae secundum rei ueritatem non uidetur.

Et iuxta primum sensum sit prima conclusio: qualitates materiales actualiter organum sensus informantes non sentiuntur. Et intelligatur ista conclusio uniuersaliter de omni sensu. Et istam conclusionem breuiter declaratur inductiue primo in sensu tactus, quia non obstante, <fol. 200rb; new fol. 193rb> quod cor inter cetera membra sit calidius, tamen tu non sentis caliditatem tui cordis, et tamen sensus tactus habet specialiter apprehendere qualitates excellentes, ut dicabat Aristoteles ad litteram. Similiter non sentis caliditatem epatis nec frigiditatem cerebri tui. Patet etiam de uisu, quia non est dubium quod oculus est coloratus et tamen oculus non uidet colorem eius.

Idem patet de gustu, quia non est dubium quod⁹ lingua in qua maxime uiget organum gustus est saporosa, et tamen non apprehendit eius saporem, nec sensus odoratus apprehendit eius odorem. Et sic patet de omnibus.

Nec obstant rationes adducte ad oppositum, quia ad ipsas respondebimus in quarto articulo.

Secunda conclusio: qualitates realiter informantes medium organo sensus immediatum non sentiuntur.

Ista conclusio patet quoniam, ut dicunt chirurgici experimentatores, quod cum neruus fuerit de cohoptus carne, et fuerit rasmus et ab eo remotus quidam panniculus, non amplius sentit neruus quamcumque sensibile ponatur supra ipsum.

Confirmatur de gustu, quia cum socius tuus comederit alea, tu apprehendit odorem eius aleorum. Si autem deinde comedas alea, tu non amplius apprehendes odorem aleorum, non¹⁰ obstante quod¹¹ ille sapor materialis non informat organum odoratus. Et hoc non est nisi, quia illa qualitas materialiter informat medium organo odoratus immediatum.

⁹ *scripsit sed del. lingua*

¹⁰ *scripsit sed del. et*

¹¹ *scripsit sed del. i*

Idem patet de uisu, quia tu non uides aerem.
Et si tu posueris caput sub aqua, tu non uidebis
aquam tangentem oculos tuos.

Apparet ergo conclusio. Et istae duae
conclusiones declarant questionem iuxta primum¹² intellectum.

Tertia conclusio:
qualitates materiales actualiter informantes organum uel medium¹³
organo immediatum nec sentiuntur nec causant sensationem.

Quod non sentiantur,
patet ex conclusionibus praecedentibus. Sed quod etiam non causent sensationem,
patet postquam nihil apprehenditur, quia si causarent sensationem,
tunc repraesentaretur per eas aliquod sensibile, modo nullum praesentatur,
quare etc.

Quarta conclusio: qualitates materiales informantes suum
subiectum distans ab organo causant sensationem.

Patet statim, quia
albedo in pariete causat uisionem in oculo distante a pariete.
Et idem dico de aliis sensibilibus qualitatibus remotis ab organis
sensuum.

Ultima et quinta conclusio: species qualitatum sensibilibus actualiter
organum informantes causant sensationem nisi aliunde fuerit impedimentum.

Patet statim quoniam non contingit istas qualitates materiales
sentiri nisi per multiplicationem suarum specierum usque ad organum
sensus, nec illae species repraesentant sua obiecta nisi ille species
fixe fuerint in organo sensus. Et sic patet conclusio.

Et haec dicta sint
de primo articulo quaestionis.

Quantum ad secundum articulum sit prima
conclusio praeambula ad propositum hoc in forma nihil est asserendum
esse fore uel fuisse sine ratione.

Patet conclusio, quia qua ratione
poneretur A uel B esse fore uel fuisse sine
ratione, pari ratione possent poni 4 et 10 et
100 et 1000, et sic sine statu sine ratione,¹⁴
<fol. 200va; new fol. 193va>
et tunc posset concedi multitudo actualiter infinita et corpus infinitum.

¹² scripsit sed del. sensum

¹³ scripsit sed del. organo

¹⁴ scripsit sed del. quia tu

Et sic patet conclusio.

Secunda conclusio: omne agens naturale est naturaliter productiuum effectus eiusdem speciei cum illo producente.

Patet primo auctoritate Aristoteles *in hoc II* dum sic dicabat ad litteram, naturalissimum est unumquodque producere talem alterum quale ipsum est, quod inductive declarabat dicens, ut animal animal et plantata plantam et sic caliditas caliditatem.

Tertia conclusio: quod aliquod agens naturale multiplicet ad se qualitates spirituales non potest euidenter concludi.

Patet, quia sicut qualitas materialis produceret qualitatem spiritualem, sic substantia materialis produceret substantialem spiritualem, et sic asinus materialis produceret asinum spiritualem, et homo materialis hominem spiritualem, et sic de aliis. Hoc autem non conceditur comuniter, nec consuetum est concedi ut quod detur asinus spiritualis, et homo spiritualis, et planta spiritualis, et sic de aliis.

Patet etiam ista conclusio per praecedentem, quia ubi aliqua qualitas materialis produceret qualitatem spiritualem, tunc non esset naturalissimum unumquodque ens naturale producere effectum eiusdem rationis cum producente, cuius oppositum dicebat secunda conclusio.

Confirmatur, quia si caliditas materialis produceret caliditatem spiritualem, et sic de aliis qualitatibus et substantiis, hoc non esset nisi quia tales qualitates spirituales essent repraesentatiuae suarum causarum, sicut ponitur a philosophis apud sensationem et intellectionem. Et hoc uidentur sonare multis sermonibus Aristotelis. Dicit enim in *III huius*, quod lapis non est in anima, sed species lapidis etc.. Sed propter hoc non est dicendum, quod entia materialia multiplicent ad se qualitates spirituales, quia cum entia spiritualia non habeant aliquam similitudinem nec connexionem cum suis causis materialibus, non poterunt suas causas repraesentare.

Quarta conclusio: non est asserendum aliquam qualitatem spiritualem esse fore uel fuisse.

Probatum conclusio, quia illud non est asserendum esse fore uel fuisse, quod non habet causam nec rationem qua possit probari illud esse fore uel fuisse, ut dicit prima conclusio. Sed nulla est ratio qua possit concludi aliquam qualitatem spiritualem esse fore uel fuisse, igitur nulla talis est ponenda. Minor declaratur, quia si aliqua qualitas spiritualis esset uel fuisset uel potest esse, illa haberet agens productiuum

sui ipsius uel habuisset agens productiuum, sed¹⁵ patet quod non, quoniam ponentes huiusmodi qualitates spirituales dicunt eas causari ab agentibus naturalibus, sed¹⁶ huic repugnat tertia conclusio posita, quare etc.

Et ex ista conclusio sequitur quod sermones asserentes aliquam scientiam esse in anima, et uisionem esse in oculo, et sensationem esse in sensu, et odorem multiplicari spiritualiter per medium, et cetera, talia sunt falsa et erronea, nisi uelint intelligere sicut intelligunt de motu, ut sicut dicunt et bene merito, quod motus est ipsum mobile, et generatio est ipsa aliquam quae generatur. Ita dicant in proposito, quod scientia est anima sciens et¹⁷ uisio est anima uidens, et sic de aliis.

Quinta conclusio:

<fol. 200vb; new fol. 193vb>

nec uisio nec alia sensatio causabilis est ab obiecto mediante eius specie tamquam mediante qualitate spirituali.

Ista conclusio patet postquam nulla qualitas spiritualis est ponenda.

Sexta conclusio¹⁸ corollaria: quod uel sensibile positum supra sensum causat sensationem, quod uel quod in actu sentiendi non expedit ponere aliquam entitatem distinctam ab obiecto et a sensu.

Ista conclusio patet¹⁹ ex dictis. Unde ponentes in actu sentiendi aliquod tertium distinctum ab obiecto et a sensu ponunt species spirituales causari ab obiecto per medium usque in organum, sed clarum est quod tales non ponuntur nec ponende sunt, ut probatum est. Et cum sensibilia causent sensationem in sensum anima aduertente et omnis actio fit per contactum, sequitur quod ista obiecta diffundunt a se qualitates eiusdem speciei et rationis cum eis usque in organum sensus, et sic patet quod sensatio fit sensibili posito supra sensum.

Sed est dubium,

an illa qualitas sentiatur, quae est causata in organo [sensus]²⁰ ab obiecto, an illud obiectum, quod causabat illam qualitatem?

Ad quod respondetur, quod qualitas impressa in organo principaliter et primo sentitur, et secundario repraesentat

¹⁵ scripsit sed del. patet

¹⁶ scripsit sed del hoc re

¹⁷ scripsit sed del. a

¹⁸ scripsit sed del. con

¹⁹ scripsit sed del. quia

²⁰ add in marg.

suam causam tamquam suum obiectum ratione cuius illa qualitas materialis in organo dicitur species. Et ratio huius dicti est, quia unum quodque ens habet se primo²¹ repraesentare sensum quam aliud, sed quia quilibet effectus eiusdem rationis cum producente gerit in se similitudinem suae causae, hinc est quia secundo repraesentat suam causam tamquam suum obiectum.

Et haec dicta sint
de secundo articulo quaestionis.

Condascendo ad tertium articulum,
et quaero difficultatem.

Prima difficultas est, unde procedit quod nullo sono exteriori existente saepe audimus sonum in auribus nostris, ut tetigit unum argumentum.

Respondetur, quod hoc potest contingere propter aliquam malam materiam existentem in auribus, quam natura uolens expellere commouet²² agitando eam de loco ad locum, et propter subtilitatem illius materiae contingit eam habere raptum ad organum auditus, et tunc causatur ille sonitus. Et titubatio potest etiam contingere, quia²³ commoto aere exteriori agitur aer contentus in auribus, et propter aurium tortuositates frangitur ille aer hinc inde contra latera aurium, et causatur sonus paruus et remissus.

Secunda difficultas, unde est quod iuxta primam determinationem quaestionis, sensibilia agunt in sensibus nostri corporis spiritualiter cum tamen agunt ad extra materialiter, quia dicimus quod caliditas agit caliditatem materialiter per medium, quae caliditas in sensu tactus agit spiritualiter.

Respondetur, quod ut alias dixi, concedendum est quod omne agens naturale agit primo spiritualiter et hoc tam per medium exterius quam in sensu, et postmodum materialiter, et per hoc difficultas ista nihil quaerit, quia praesupponit falsum. Unde illa, quae agunt materialiter per medium, agunt uel possunt agere materialiter in sensu, id est, in organo sensus, quia non concedo animam tale fieri nec conburi. Si autem uelis tenere alium modum, ut quod huiusmodi

<fol. 201ra; new fol. 194ra>

qualitates nullo modo agant spiritualiter per medium sed solum in sensu et specialiter in actu sensationis, dicendum est quod hoc est ratione finis, quia multe sunt qualitates materiales, quae contrariantur nec in eodem subiecto sese compatiuntur, quarum qualitatum species²⁴

²¹ *scripsit sed del. rp*

²² *scripsit sed del. ali*

²³ *scripsit sed del. cum*

²⁴ *scripsit sed del. sua*

spirituales non contrariantur, quia in eadem parte se compatiuntur, modo ut per uisum uel per alium sensum exteriorem possemus simul apprehendere contraria. Hinc est quod natura ordinavit ut hora sensationis et ante qualitates sensibiles agerent²⁵ spiritualiter in sensu,²⁶ unde si agerent materialiter, tu non posses simul et semel uidere albedinem et nigredinem, nec per sensum tactus posses apprehendere caliditatem et frigiditatem, nec per sensum odoratus posses apprehendere suauem odorem et fetidum, et sic de aliis.

Tertia difficultas, unde est quod homo febriens sentit caliditatem febrilem materialiter informantem organum sensus tactus, et non sentit caliditatem sui cordis, quae est intensior caliditate informante organum tactus.

Respondetur hic, quod ubi tu uelis tenere quod sensibile positum supra sensum non causet sensationem, id est non sentiatur, tunc est dicendum quod difficultas potest praesupponere falsum pro quo noto si per totum sui corporis homo febricitat ita quod illa caliditas sit in bibita membris neruis et partibus neruosis, ille non sentiet illam caliditatem. Sed tu habes imaginari, quod quantumcumque homo febricitat aliqua pars ipsius est sana,²⁷ et in illa parte causatur sensatio, quia ad illam partem multiplicantur species illius caliditatis. Si autem contingat, sicut ego dixi, quod febris sic per totum corpus tunc habens febrem non sentiet caliditatem. Sed per hoc non respondetur ad plenum, quia difficultas est,²⁸ quare homine existente sano ipse non sentiet caliditatem cordis, eo quod illa caliditas materialis existens subiective in corde²⁹ potest multiplicare eius speciem ad aliam partem nostri corporis sicut ad neruos,³⁰ qui sunt sub pulpa digitorum manus et ibi causare sensationem.

Respondetur primo, quod caliditatis cordis non sentitur, nec nata est sentiri ratione finis ne homo continue affligatur, quia oporteret continue actualiter sentire et ista assidua sensatio non est sine afflictione, sicut aliqua uisio assidua est dolorosa quando diu inspicimus aliquod obiectum lucidum forti intuitionem.

²⁵ scripsit sed del. spa

²⁶ scripsit sed del. quod

²⁷ scripsit sed del. et nulla

²⁸ scripsit sed del. quo

²⁹ scripsit sed del. potest

³⁰ scripsit sed del. quia s

Aliter potest dici quod, ut dictum fuit capitulo de tactu, ad sentiendum requiritur medium intraneum et extraneum, ut aer uel aqua, modo medium extraneum hic deficit.

Aliter potest dici, quod sentimus bene caliditatem cordis, quia cum sentimus manus nostras calidas, nos tunc sentimus caliditatem cordis, quia sicut quandocumque nos uidemus aliquod <fol. 201rb; new fol. 194rb> astrum in caelo de nocte, nos uidemus solem et lucem solis. Ita in proposito, quia sicut omnia astra recipiunt lumen a sole ita omnia membra recipiunt caliditatem a corde.

Ultima difficultas, unde est quod in uisu et in aliis sensibus non assignatur ita duplex medium ad sentiendi, sicut in sensu tactus.

Respondetur, quod sine dubio sicut in sensu tactu assignatur duplex medium, ut extrinsecum et intrinsecum, scilicet aer et caro, ita etiam est in aliis sensibus, quia uisio non est in superficie oculi, ut scribitur libro *De sensu et sensatione*, circa principium, sed in centro³¹ eius. Et sic tunicae oculum componentes possunt dici medium intraneum. Idem patet de gustu cum gustus sit tactus, unde organum gustus habet panniculum inuoluentem³² ipsum, qui est medium intraneum. Et sic de omnibus aliis.

Et hoc de isto tertio articulo.

Ad quartum

articulum restat respondere ad rationes.

Ad primam cum dicitur homo sentit dolorem stomachi, hic est dicendum quod homo per nullum, id est, sine sensuum exteriorum sentit dolorem stomachi, et ratio est ista, quia dolor non est nisi quaedam mala sensatio, modo nullus sensus exterior apprehendit suam operationem, et hoc dicebat Aristoteles, in textu sentiens ergo dolorem sentit illum per aliquem sensum interiorem.

Et cum dicitur in eodem argumento, quod tu sentis caliditatem excessiuam uel frigiditatem excessiuam pedum, concedatur sed ista frigiditas pedum sentitur mediante parte quae existit sub media proportione caliditatis et frigiditatis etc.

Ad aliud argumentum, cum dicitur homo hora submersionis eius in aqua frigida etc., dico hic quod uerum est,

³¹ scripsit sed del. u

³² scripsit sed del. e

sed sentit illam mediante medio, ut mediante carne. Et hoc sufficit, ut dictum fuit in quaestione praecedente cuius signum est quoniam³³ cum tu contraxeris ulteriorem horam in aqua frigida, tu continue³⁴ minus senties caliditatem et minus iudicabis de ipsa, et hoc solum erit, quia ista frigiditatis in processu temporis informabit neruum sensituum, et quia sensibile positum supra sensum non facit sensationem, hinc est etc..

Idem contingit quando tu intras balneum calidum, quod tunc statim sentis magnam caliditatem et excessiuam, et postea per processum³⁵ ulteriorem tu minus sentis caliditatem et minus iudicas de caliditate.

Ad tertium argumentum, hora qua homo decapitatur sentit etc. et hora qua conburitur etc. Dico quod eadem est solutio istorum argumentorum et praecedentis.

Ad aliud argumentum de uisu,³⁶ cum dicitur, quod oculus uidet lumen connaturale eius, negatur. Et ad probationem, quoniam cum fricatur oculus, tunc uidetur lumen in modum fulguris, quod lumen non est extra oculum, ergo relinquatur quod est in oculo. Ad istud consueui dicere dupliciter.

Prima responsio: quod cum fricatur oculus, una pars ipsius oculi deprimitur per digitum et alia pars eleuatur, et supereminet parti depresso, et tunc habet rationem obiecti, quia cum ipsa supereminat³⁷ parti depresso ipsa radiat sicut partem depressam <fol. 201va; new fol. 194va> et multiplicat species eius usque ad centrum oculi.

Et iuxta hoc habes dicere, quod lumen connaturale oculi non videtur, sed potius ipse oculus videtur, licet non sub sua uenustate et figura, et ista solutio communiter dicitur de mente Aristotelis et Commentatoris libro, *De sensu et sensato*.

Sed ista non ualet, quia ista apparentia fit ita clausis oculis sicut apertis, et etiam saepe sic fit, quia cum tu fricaueris oculum destrum iste fulgor apparet in oculo sinistro. Et etiam ad hoc quod pars³⁸ supereminens partis depressae posset radiare super partem depressam requireretur ualde fortis compressio, cuius oppositum possumus experiri, quia cum

³³ scripsit sed del. cum

³⁴ scripsit sed del. sine i

³⁵ scripsit sed del. i

³⁶ scripsit sed del. cud

³⁷ scripsit sed del. super

³⁸ scripsit sed del. scior

leui frictione contingit illud quod dictum est, ut quod appareat tibi quoddam lumen in modum fulgoris. Est igitur dicendum aliter ut quod ex dicta frictione fit quodam modo conmotio spirituum et humorum oculum componentium, et in ista conmotione aliquae partes subtiles transeunt per pupillam oculi radiando. Et quia oculus est de genere splendorum, quia in eo praedominatur aqua, hinc est quod apparet ille splendor qui secundum rerum veritatem est bene in oculo, sed non in parte in qua fit visio, sed est in parte remota a centro oculi. Et ita praesentatur oculo mediante medio intraneo, quia, ut dictum fuit in una difficultate, quilibet sensus de exterioribus habet medium intraneo³⁹ requisitum ad sensationem, adhuc istud est planus ubi tu concederes quod fieret visio⁴⁰ in cruciatione neruorum opticorum.

Per hec quae dicta sunt potest apparere solutio ad omnia argumenta, quae secuntur.⁴¹

Et hoc de tota quaestione.

³⁹ *corrigendum in intraneum*

⁴⁰ *scripsit sed deleo in neruo optico*

⁴¹ *scripsit sed del. et*